



NICOLAI VIGELII IV
RISCONSULTI

DIGESTO

RVM

PARS TERTIA:

De Iure quod in rebus habemus,
cum suis causis & actionibus.



BASILEAE, EX OFFICINA
OPORINIANA



DIGESTORVM LIBER

VICESIMVS PRIMVS:

DE REVM DOMINIO, EIVS QVE
actionibus.

In hoc Libro tractabitur primum de dominio rerum adquirendo, postea de
eo amittendo, postremo de actionibus qua pro dominio & quasi dominio uin-
dicando competunt, Quod ad primum attinet, eius quatuor loci sunt notandi.
Primo, causa ex quibus dominium adquiratur: deinde, persona, per quas nobis
adquiratur: tertio, quibus adquiratur: postremo, quid & quantum adquiratur.
Hisce quatuor absolutis, primum membrum de ad-
quirendo dominio conclu-
demus.

DE CAUSIS EX QUIBUS
dominium adquiritur.

Cap. 1.



QUOD ad causas acquirendi do-
minij attinet, sciendum est, quan-
uis earum plures sint, ut j. dice-
tur, tamen alicui eiusdem rei do-
minium no nisi ex una causa con-
tingere posse, quod approbatur
L. possideri. i. §. ex pluribus. ff. de
adquirenda uel amittenda possess. hisce uerbis: Domi-
nium no potest nisi ex una causa contingere.
Concordat l. & an. 4. §. actiones, in fine. ff. de except.
rei iud. cuius uerba uide j. lib. 48. cap. 16. excepti. 4. repl.
1. & L. non ut. 109. ff. de reg. iuris, ubi Paulus: Non ut
ex pluribus causis (inquit) debent nobis idē
potest, ita ex pluribus causis idem possit no-
stram esse. unde Imperator Iustinianus: Si rem
legatarij quis ei legauerit (inquit) inutile
est legatum: quia quod proprium est ipsius,
amplius eius fieri no potest. In l. de legatis. §. si
cui fundus, ibi: sed si rem. Hisce premisis, uidendum
nunc, quot & que sint acquirendi dominij cause. Sunt
autem haru duo genera. Nam aut iure naturali seu ge-
ntium subsistunt, aut iure ciuili, que diuisio causarum ap-
probatur L. in prin. ff. de acquir. rer. dominio, hisce uer-
bis: Quarundam rerum dominium nanciscimur
iure gentium, quod ratione naturali in-
ter omnes homines peræque seruat: qua-
rundam iure ciuili, id est iure proprio ciuita-
tis nostræ. Concordat Inst. de rer. diuis. §. singuloru
uerò, his uerbis: Singulorum hominum mul-
tis modis res sunt, quarundam enim rerum
dominium nanciscimur iure naturali, quod
(sicut diximus) appellatur ius gentiu: qua-
rundam uerò iure ciuili. Commodius est
itaq; à uetustiore iure incipere. Palam est
autē, uetustius esse ius naturale, quod cum
ipso genere humano reru natura prodidit.
Ciuita autem inta tunc esse coepit, cum

& ciuitates condi, & magistratus creati, &
leges scribi coeperunt. Aut Imperator: Com-
modius est itaq; à uetustiore iure incipere,
&c. Huic concordat d. l. i. §. & quia. ff. de rerum do-
minio, his uerbis: Quia antiquum ius gentium
cum ipso genere humano proditum est: op-
pus est, ut de hoc prius referendum sit. Hoc
igitur ordine seruato, primum proponemus causas,
quibus iure naturali seu gentium res nobis adquirun-
tur: deinde causas, quibus adquiruntur iure ciuili.

Prima itaq; acquirendi dominij Cause est, occupatio
eius quod nullius est, que causa approbatur L. quod
null. 3. in prin. ff. de acquir. rer. dominio, hisce uerbis:
Quod nullius est, id ratione naturali occu-
panti conceditur. Concordat ipsam uerbis Inst.
eodem tit. §. ser. igitur. Huius exempla uide paulo infe-
rius, in sequentibus causis. Proposita cause exceptio
prima hæc est: Nisi quis id cuius commercium non est,
occupauerit: ueluti rem sacram, sanctam, religiosam, uel
liberum hominem. hæc enim res, quamuis in nullius ho-
nis sint, tamen occupanti non conceduntur. Secunda
exceptio est: Nisi res publice occupentur, nam nec istæ
res in ullius bonis esse creduntur, quod approbatur L.
§. hæc autem res. ff. de diuisione rerum, his uerbis: Que
res publicæ sunt, nullius in bonis esse cre-
duntur. At tamen occupanti no concedan-
tur. Tertia exceptio est: Nisi res hæreditariæ occu-
pentur. Nam hæc in nullius bonis sunt, quod approba-
tur d. l. i. §. quod autē, his uerbis: Res hæreditariæ,
antequam aliquis hæres existat, nullius in
bonis sunt. At tamen hæc res ad propositam regulam
non pertinent, que exceptio cum duabus præcedentib.
plusquam manifesta est, ut probatione no sit opus. Quin-
tmo, qui huiusmodi res occupauerit, sacrilegij crimine,
plagij, peculatus, expilatae hæreditatis, uel alio huiusmo-
di publico tenetur iudicio, ut suis locis docebitur.

11. Cause: Captatio ferarum bestiarum, uolucrum &
piscum. Hæc causa approbatur Inst. de rerum diuis.
§. ser. igitur, hisce uerbis: Feræ bestiar, & uolu-
eres, & pisces, & omnia animalia que mari,
celo & terra nascuntur, simulatque ab ali-
quo capta fuerint, iure gentium statim illi-
us esse

Leg. §. quibus ff.
quod de aut ch